



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1711

§. I. Primò, quia intellectus opinaretur contra inclinationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84783](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84783)

potius Tutorista. Sequitur secundò ne quidem nos sequi posse probabiliorem, quia tam intellectus dubitat, quoties adfunt motiva aequalia, quam quoties adfunt inaequalia; & quia dabitur tunc in intellectu, tum certitudo moralis de honestate, derivata à probabilitate, tum certitudo moralis de non honestate orta à minori probabilitate; immò si opinio probabilior sit minus tuta, dabitur simul certitudo moralis de honestate orta à probabilitate; & certitudo moralis de non securitate, quia est minus tuta. Ad do sibi contradicere, nam ut dixi d. 10. sect. 3. §. 3. nullus trahit tot motiva extrinseca, à quibus opinio minus probabilis certificetur, quot trahit M. Mercorius: ergo deponi potest dubium per syllogismum reflexum ijs motivis nixum. In forma nego antecedens; ad probationem dico intellectum esse dubium utquedum à voluntate determinetur; & nego consequentiam; ad hujus probationem dico dubium deponi potest tum per allatum syllogismum reflexum, tum per assensum directum probabiliorem, aut minus probabilem. Ad 1. replicam dicam infra, quòd omne iudicium certò probabile sit per se ipsum formaliter certum certitudine excludente omne peccatum. Ad 2. nego suppositum, supponit enim, quòd habens iudicium minus probabile de honestate, simul habeat iudicium probabilius de non honestate, quod implicat.

N. Dices ex eodem: Opinio minus probabilis, stante probabiliori, non tantum habet annexam formidinem de opposito, quin habet contra se motiva suadentia esse falsam; ergo non potest esse regula conscientiae. Confirmat; quia opinio minus probabilis, stante probabiliori, non est probabilis, nam est probabilis probabilitate impedita ab opposita: ergo intellectus tunc non potest assentiri.

N. Sed contra; quia M. Mercorius, cujus loca dedi d. 10. sect. 3. a. n. 77. docet amplectendam minus probabilem, si tutior sit: ergo tenetur solvere argumentum: immò nec poterit intellectus assentiri probabiliori, quia haec etiam habet formidinem, est enim incerta; & habet contra se motiva suadentia esse falsam. In forma concedo antecedens, & nego consequentiam; quia motiva illa licet suadeant esse falsam, non tamen tollunt ab ea gravem verosimilitudinem; ut autem quis recte moraliter operetur, non est necessesse, ut sequatur verum, nisi sit certum, sed fati ubi est incertum, ut sequatur, quod apparet graviter verum. Ad confirm. nego antecedens ut dixi d. 8.

Tom. II.

Infitas ex M. Mercor. 2. pag. 96. Si probabilitas reflexè cognita in opinione minus probabilis est medium certificans conscientiam de non peccato, numquam daretur casus, in quo quis operaretur cum conscientia dubia, nam haec non datur, nisi detur ex utraque parte probabilitas. Sed contra, tum quia ea datur etiam, quando ex neutra parte datur probabilitas; tum quia datur, quoties non tollitur dubium per assensum directum, aut non accedit novum principium reflexum, quo dubium deponatur.

SECTIO IV.

Quia physice, & licite intellectus nequit opinari minus probabile.

§. I.

Primò, quia intellectus opinaretur contra inclinationem.

SUMMARIUM.

- Aliqua ex dictis, n. 16. & 17.
- Candidus negat esse in nostrà manu opinari, & intellectum posse minus probabilem opinari veram, à n. 218. ad 221.
- Omnia retorqueo, n. 222.
- Etsi utraque judicari non possit vera, potest tamen utraque videri vera, n. 223.
- Recito verba Candidi de similitate probabilitatis, ibid.
- Potest intellectus assentiri minus probabili, n. 224. 225. 226.
- Ait cum Fagnano, & M. Gonet. intellectum inclinari ad verum, n. 227.
- Ostendo ex peccato iudicij temerarij, & infidelitatis non esse contra intellectus inclinationem assentiri minus vero, n. 228. 229.
- Candidus ex S. Tho. ait reclamare conscientiam; & ex edicto Theodosij sequendos plures, & pleraque suffragia, & quod consilium pauciorum sit plerumque falsum, n. 230. 231. 232.
- Ab eo solvenda, n. 234.
- Candidus debuisset potius negare suppositum, quòd liceat minus probabilis praesente probabiliori, quam eo admissio, negare usum, ut fecit Celladei, n. 235.
- Quantum Adversarij ad invicem opponantur, ibid.
- Multipliciter urgeo, cur minus tuta, praesente tutiori, maneat tuta; non autem minus probabilis, praesente probabiliori, maneat probabilis, n. 236.
- Affero robustiora Contrariorum argumenta, & ostendo omnia ab illis solvenda, num. 237. & 241.
- Nulla datur lex sequendi sapientiores, n. 238.

Bbb iij Nostra

Nostra saltem est extrinsecè probabilior, n. 239.

240.

Rationes Adversariorum, quàm opposita ipsdem; non ita nostre nobis, ibid.

Candidus negat, quòd plura falsa sint post examen probabiliora veris. Eius contradictio, n. 241. 242.

Cùm nulla sit probabilis, qua non sit alicui probabilior, invero, quòd adhuc post examen tot ex probabilioribus sint false, quot vera, n. 243.

M. Mercor. negat intellectum assentiri posse minus probabili, & satis esse reflexum de eius probabilitate iudicium, quia hoc stat cum conscientia dubia, n. 244.

Eius contradictio, n. 245.

Minus probabilis est similior vero, quam falsa, etsi non sit adeo similis suo vero, ut est probabilior, n. 246.

Utramque esse probabilem, non est utramque esse veram, aut falsam, sed est quamlibet esse posse veram, aut falsam, ut est in mente, ibid.

Card. Caietanus ait, contingere aliquando, ut magis moveant argumenta falsa, quam eorum solutiones, ibid.

Candidus negat regulam esse probabilitatē, quia est variabilis, n. 247.

Qualiter probabilitas sit variabilis, ibid.

N.

216.

Pleraque argumenta ex repugnantia intellectus, ut assentiat minus probabili, & quòd nulla sit probabilis, quoties utraque est æquè probabilis, soluta sunt d. 8. ibi enim ostendi dari similitatem probabilitatis, & potentiam physicam intellectus, ut ex voluntatis imperio assentiat minus probabili. Quòd autem licitè possit, patet ex d. 11, eò quia non probatur lex de assentiendo non nisi probabiliori. Confirmo; quia sola evidentia cogit intellectum: ergo intellectus non necessitatur physicè, ut assentiat probabiliori, cum omne probabilius sit formidolosum de sui veritate: ergo potest intellectus physicè deserere probabilius, immò solvere rationes probabiliores, quibus solutis manet expeditus ad assentiendum minus probabili. ergo potest physicè assentiri minus probabili. Rursus cum nulla detur lex obligans ad probabilius, potest licitè omittere assensum probabiliorum: ergo solutis rationibus probabilioribus, potest licitè assentiri minus probabili. Demum quòd rationes probabiliores non enervent minus probabiles, sæpe dixi d. 8. nam de cætero nullus opinionem suam contrariam dicere possit probabilem contra innatam Doctorum modestiam, qui oppositas suis vocant probabiles. Hinc est quòd si rationes minus probabiles non

N.

217.

omnino enervantur (nam probabilitas à solâ certitudine oppositâ enervatur) à ratione probabiliori, sequitur, inquam, quòd assentiens minus probabili assentitur prudenti immò eo ipso quòd rationes probabiliores solvuntur, eo ipso integra manet vis rationum minus probabili, ut moveant ad prudentem assensum. His non obstantibus, aliqua iterum traho Adversariorum argumenta, etsi à mè d. 8. soluta sint, cum Contrarij eadem sæpe repetant.

Objicies 1. ex Philal. qu. 5. pag. 81. Opinari non est in nobis, ait Arit. seu non est in nobis liberum; sed esset, si stante probabiliore sequi possemus minus probabilem; ergo non possumus. Maior probatur etiam ratione; quia non possum licitè sequi nisi partem, quam possum opinari veram, nam quòd non est ex fide, seu non putatur verum, est peccatum; sed non possum opinari veram minus probabilem, alias possem opinari veram utramque contradictoriam; ergo &c.

Confirmat 1. pag. 82. Ut quis prudenter operetur, debet habere iudicium probabile de licentiâ objecti opinati: sed sequens minus probabilem non potest habere, quia opinari non est liberum, nec intellectus assentiri potest minus probabili, stante probabiliore; ergo &c.

Confirmat 2. pag. 83. Ut licitè agam, non est satis sequi iudicium probabile, sed sequi teneor, quòd opinor verum; sed non est in meâ libertate opinari utrumque verum, nec opinari verum, quòd volo, sed necesse est, ut opiner verum id, quòd fortiora habet motiva.

Confirmat 3. Vel motiva sunt æquè probabilia, & sic intellectus nec physicè poterit assentiri uni præ altero; vel unum minus, & sic huic non potest; vel aliud est magis probabile? & sic huic necessario assentitur. Demus ergo motiva esse æquè probabilia, tunc intellectus, quia physicè non potest assentiri uni præ altero, manebit dubius de licito, & illicito; sed in dubio practico non licet operari; ergo &c.

Sed contra 1. quia hæc omnia solvenda sunt à Candido, quatenus, ut dixi d. 10. d. n. 217. expressè docet, quòd si utraque æquè probabilis sit æquè tuta, quamlibet eligi possit: ergo intellectus potest physicè, & licitè assentiri ex æquè probabilibus æquè tutis: ergo equalis probabilitas non tollit potentiam physicam, nec intellectus manet necessario dubius. Similiter idem Candidus docet, quòd etsi intellectus non iudicat unam esse magis eligendam, quàm aliam, nam utraque est æquè probabilis, potest tamen ad libitum

quamlibet eligere, quatenus una est *magis commoda*, ut dixi *d. 10. n. 79*. Rogo, quid laxius Probabilis dicere potest? Rogo, quomodo in hoc casu non est impossibile opinari? Rogo, quomodo intellectus opinetur tunc veram utramque contradictoriam? Ergo omnia ab eo solvenda.

N. 223. Contra 2. Aliud est, quod utrumque contradictorium non possit esse verum, quod certum est; aliud, quod utrumque non possit apparere probabiliter verum, quod falsum est: immo hoc ipsum docet ipse Philal. *qu. 6. pag. mibi 123*. ubi ait: *Nam probabiliter esse non est aliud, quam verum cum aliquo fundamento non levi apparere; potest enim utraque contradictoria per diversa fundamenta rationum, sive media cognoscendi, apparere vera, & sic ab intellectu judicari probabilis; adeoque res ut apparet per diversa media cognoscendi, apparebit modo esse, modo non esse, esse licitam, & non esse licitam, quod est utramque contradictoriam esse probabilem.* Hæc Philal. qui *pag. 124*. repetit, quod licet res non possit nisi esse, vel non esse, utroque modo potest apparere. Ecce quam facile ex Candidi doctrinâ possit argumentum solvi, nam utraque contradictoria potest apparere vera; si ergo utraque potest simul apparere vera, potest utraque divisim judicari vera; quod non est nisi similitas probabilitatis, & probabilitas simultatis; ea possibile, hæc impossibilis, quas quia Candidus confundit, nec non etiam probabilitatem cum veritate, ideo non mirum, si sibi contradicat. Idem subdit *pag. 125*. immo *pag. 127*. ait: *Aliud est, quod utraque pars contradictionis sit probabilis, aliud, quod sit probabile utramque esse veram; illud est verum, hoc est falsum.* Ex quo infero ego; quod cum evidens sit utramque non esse veram, certum est non esse probabile utramque esse veram: rursus cum evidens sit utramque esse probabilem, certum est utramque apparere ex gravi fundamento veram, seu utramque esse probabiliter veram. In formâ nego antecedens juxta fassè dicta *d. 8.* ad probationem nego minorem.

N. 224. Ad 1. confirm. nego minorem, & ejus probationem, cujus talitas constat tum ex judicio temerario, tum ex peccato infidelitatis, quâ duplici paritate patet intellectum posse assentiri objecto leviter probabili; ergo multo magis objecto verè probabili, etsi minus probabili quàm oppositum: & quidem sine peccato; quod non accidit in judicio temerario, & peccato infidelitatis, quia in his motivum assensus est imprudens, in nostro est prudens, etsi minus quàm oppositum.

Ad 2. distingo minorem: non est in mea manu opinari utrumque verum scorsim, necgo; simul, concedo minorem, & nego consequentiam; repugnat enim probabilitas simultatis utriusque assensus opinativi: quare ego non dico, quod ut judicem probabiliter utramque partem veram, necesse sit unire simul duos assensus probabiles contradictorios, sed satis est, ut modo judicem A, modo B esse verum, divisim, ut fatetur ipse Candidus, qui sui obliviscitur, ut contra nos arguat.

Ad 3. dico intellectum posse physicè fortissim assentiri utriusque motivo æquè, aut minus probabili, & posse licitè, si motivum sit prudens. Ad probationem nego dari dubium, nam per opinionem excluditur.

Dices ex Philal. *pag. 86*. Qui non sequitur inclinationem intellectus ad assensum, non sequitur dictamen rationis: sed inclinatio intellectus est ad fortiora motiva: ergo qui non sequitur fortiora motiva, non sequitur dictamen rationis: & *pag. 87*. dicit argumentum esse demonstrativum, cujus vis est in hoc, quod intellectus possit quidem assentiri minus probabili, absente probabiliore, non autem presente; quia opinari non est liberum, sed necesse est eam contradictionis partem opinari, quæ habet fortiora motiva. Eodem tenore arguit Fagn. & Gonetus.

Sed contra 1. quia totum hoc solvendum est à Candido, ut dixi paulo ante. Contra 2. quia implicat, ut sit demonstrativum argumentum, quod probat repugnare judicium temerarium, & peccatum infidelitatis, cum sit de fide utrumque dari: sed dictum argumentum hoc probat, quia qui temerè judicet, assentitur motivo imprudenti, præsentè unice prudenti; & qui assentitur articulo fidei, credit illum præsentè motivo articuli veri, nam, juxta Cand. non repugnat similitas duplicis motivi probabilis; ergo nec repugnabit similitas motivorum, quorum unum sit imprudens, aliud prudens, ut accidit in judicio temerario; nec similitas motivorum, quorum unum sit prudenter incredibile fide Divinâ, aliud sit unice prudenter credibile fide Divinâ, ut in peccato infidelitatis. In formâ nego maiorem; non enim inclinatio intellectus ad assensum est dictamen rationis, ea enim est quid identificatum intellectui; hoc autem est actus intellectus: licet ergo intellectus inclinet ad assensum maioris motivi, non ideo operatur contra dictamen rationis, dum assentitur minus probabili, præsertim solutis rationibus probabilioribus partis oppositæ. Quo modo licet conscientia inclinet ad opinionem tutiorem, non ideo agit

Philal. agit contra dictamen rationis, sequendo minus tutam, ut etiam Candidus docet, immò, juxta eum, & nos, assentiens minus tuta sequitur ductum rationis prudentem, si habeat motivum prudens: ita in casu nostro assentiens minus probabili sequitur prudentem rationis ductum, nicitur enim motivo prudenti, et si minus prudenti, quam oppositum. Non repeto quæ toties dixi, quod rationes unius partis probabiles non enervant rationes probabiles partis oppositæ, ut rectè P. Card. tom. 3. d. 56. cap. 16. art. 2. ergo si intellectus solvat rationes probabiles oppositas, & nitatur probabilibus alterius partis, assentietur prudenter. Nec dicatur, quod assentiatur huic parti, quia probabiliori; hoc enim nego: ut enim Adversarij volunt intellectum in quæstionibus scholasticis posse assentiri alterutri ex æquè probabilibus, cur non etiam in moralibus? immò, ut ijdem dicunt, posse in moralibus assentiri alterutri, quoties est æquè tuta, & æquè probabilis, ac opposita, ut Candidus, aut quoties utraque fiat pro honesto, ut M. Baro, nec tunc rationes unius partis enervant probabilitatem alterius; ita in nostro casu.

N. 229. Philal. Intitabis ex Phil. pag. 108. Sequens minus probabilem de licito contra probabiliorem de illicito, non potest habere illud iudicium, Licet, quia maiora sunt motiva pro illicito, & ait hanc rationem esse demonstrativam. Nego antecedens juxta immediatè dicta.

N. 230. Philal. S. Th. Objicies 2. ex Philal. pag. 109. citante S. Thom. quodlib. 8. art. 13. dicentem, quòd si in contrarietate opinionum una amplectenda est, ita altera improbabilis videtur, ut nihil nos moveat, quin alteram indubitatam teneamus; ergo multò minus S. Thom. concederet posse nos amplecti illam, cujus contraria ita nos movet, ut maiora veritatis argumenta habere illam censeamus: ergo nemo sequi potest minus probabilem, nisi reclamante conscientia, quæ sequitur fortiora motiva: ergo non potest non peccare eam sequens, quia contra conscientiam operatur.

N. 231. C. Bar. Confirmat 1. pag. 109. ex edicto Theodosij apud Card. Baronium anno 435. ubi habetur, sequendam opinionem, quæ plures habet Authores, quam quæ pauciores; & quæ plures rationes, quam quæ pauciores; & pro argumento vigesimo trahit receptam consuetudinem sequendi pluralitatem suffragiorum.

N. 232. Confirmat 2. pag. 104. quia sequens minus probabilem sequitur consilium minus sapientum; ergo deterius: & si hoc licet, licebit vivere secundum consilium minus sapientum, imò plerumque errantium. Confirmat 3. pag. 11. quia opinio probabilis in

confortio probabilioris non est probabilis, immò reprobabilis, quia non potest generare assensum probabilem; quod idem reperitur pag. 112. quod minus probabilem in comparatione probabilioris non fit probabilis, nisi secundum quid, & ideo gignere non potest assensum prudentem. Hæc Candidus, ex quo plerumque non citato reliqui Probabilioristæ totam suam doctrinam hauserunt.

Sed contra 1. quia sibi aperte contradicunt, nam ut antè retuli, ait utramque contradictoriam ob diversa fundamenta rationum apparere posse veram, seu probabilem; ergo non potest dicere opinionem probabilem non manere probabilem præsentè probabiliori.

Contra 2. quia si non manet probabilis, negandum potius esset suppositum de licito: ut ut minus probabilem præsentè probabiliori, ut fecit P. Eliz. à nobis impugnatus, quam suppositum concedere, ut Candidus eo ipso libro concessit; cur ergo concedit suppositum hujus quæstionis, an liceat sequi minus probabilem stante probabiliori? suppositum autem est, quod minus probabilem manet probabilem etiam in confortio probabilioris; modo autem, ut nobis respondeat, negat suppositum. Vides mi Lector quam incoherentes sint Adversarij? plerique enim quæstionis suppositum concedunt, nempe minus probabilem manere probabilem stante probabiliori; & negant quæstionem, nempe eam licere; & deinde nostris vexati argumentis ijdem suppositum, quod concederant, negant; immò si negant, eo ipso iterum sibi contradicunt, dum obligant ad sequendam probabiliorem, nam tunc non est probabilior, sed purè probabilis, cum minus probabilem non fit, juxta eisdem, probabilis. Adde me non videre, cur minus tuta, stante tutiori, maneat tuta; minus probabilis, stante probabiliori, non maneat probabilis. Vides quot contradictoria? Aliqui verò, præsertim P. Eliz. à nobis impugnatus d. 8. sect. 1. & P. D. Thyrsus, & Palanc. à nobis rejecti negant minus probabilem manere probabilem, & sic negant suppositum quæstionis, an liceat sequi minus probabilem, stante probabiliori; hæc enim quæstio supponit manere probabilem, quod falsum esse dicunt. At satis contra hos dixi d. 8. n. 39. ad 47. & n. 51. immò sect. 1. §. 2. per totum, & sect. 2. §. 6 & d. 11. n. 2. & n. 62. ad 87. eos latis superque rejeci.

Contra 3. quia in materia, & formâ Sacramentorum est sequenda tutior, et si minus, 276. probabilis, ut colligitur ex 1. ex damnatis p. 23. ab Innoc. XI. ergo Candidus tenetur suis argumentis

gumentis occurrere. Similiter tenetur, quatenus docet ex aequè tutis aequè probabilitibus alterutram nos sequi posse pro libito. Si ergo aequalis probabilitas non tollit aequalem oppositam, & utraque manet aequè probabilis, cur probabilitas tollit minorem, cum tamen, si tenet argumentum, neutra manere ex aequè probabilitibus deberet probabilis? ut enim probabilitas a minus probabili tollit omnem probabilitatē, ita aequalis probabilitas tollit aequalē ab aliā oppositā. Demum tenetur solvere, dum obligat nos ad sequendam probabilem præ tutiori minus probabili: ut enim maior securitas opinionis minus probabilis non tollit minorem securitatem ab opinione probabili, si enim tolleretur, probabilior non esset tuta, ita nec maior probabilitas tollit minorem. Dixi paulo antè, quod in materiā, & formā Sacramentorum sequenda sit tutior, etsi minus probabilis, de quo legi potest P. Card. tom. 4. *disf. 2. a. n. 1.* ubi n. 7. explicat quæ sit tutior: & *disf. 4. n. 55.* rectè notat, quod quoties non potest ad praxim reduci, nisi minus tuta, tunc non omittitur tutior, cum sit impossibilis; quo modo non dicitur omittere cursum, qui est ligatus; nec minus tuta tunc est minus tuta, eoque loco trahit casus aliquos apud eum legendos. In formā dico me satis ostendisse *d. 12. S. Thomam* stare pro nobis: præcipuè cum, ut dixi *d. 8. n. 302. S. D.* asserat esse in nostrā potestate assentiri uni, vel alteri ex contradictorijs, ut accidit in *omnibus probabilibus*; immo non video quid Candidus velit ex textu adducto.

Ad 1. confirm. si opinio, quæ plures numerat Doctores, & rationes, præferenda est, ignoro, an aliqua sit inter controversas, quæ tot numeret Doctores, & rationes, quot nostra sententia. Addo, quod nulla est ratio Contrariorum, quæ, si robusta sit, non probet evidentiam esse semper necessariam, & nullam probabilitatem exculare; robustiores enim rationes sunt, quas *hac disp.* adduxi, & oriuntur ex confusione probabilitatis, aut probabilitatis cum veritate, & quod nulla probabilitas satis sit, quia omnis est incerta, & nulla est necessariò connexa cum veritate; hæc autem ducunt ad hoc, quod sola evidentia honestatis satis, & necessaria sit ad honestè operandum. Immo omnia argumenta sunt ab Adversarijs solvenda, quod non accidit nostris argumentis.

Ad 2. fateor, quod sequens minus probabilem sequatur directè consilium minus sapientum, sapientum tamen; adeoque non detur, sed non ita prudens, non tamen imprudens: reflexè tamen sequitur consilium

magis sapientum, nam stantes pro nostra sapientissimi sunt: nec potest assignari præceptum obligans vivere juxta consilium sapientiorum. Utinam genus humanum vivat juxta consilia sapientum; de hoc enim tantum datur præceptum, & contra hoc plerique vivunt.

Ad 3. nego antecedens, de quo lege *d. 8. sect. 1.*

Dices ex Philal. falsum esse, quòd nostra sententia itans pro licito usu minus probabilis sit probabilior, si enim spectentur rationes sententiæ negantis licitum ejus usum, non solvuntur à nobis, immò nostra rationes æquivocatione laborant.

Sed contra 1. quia negari non potest nostram sententiam esse saltem extrinsecè probabilem. Contra 2. quia ostendat Candidus nostrarum rationum æquivocationem. Contra 3. quia tantum abest, ut rationes Adversariorum aliquid veri habeant, quin ab ipsam solvenda sunt: plures enim Probabilioritarum rationes probant sequendam tutiorem, etiam minus probabilem, quod negant Probabilioritas: & plures Tutoritarum probant sequendam probabilem minus tutam, quod negant Tutoritas: & plures communes utriusque probant, vel sequendam semper tutiorem, etiam non probabilem; quatenus sicut maior probabilitas enervat minorem, ita maior securitas minorem; vel nunquam dari posse duas opiniones oppositas tutas, sicut nunquam duæ probabiles propter dictam rationem enervationis: vel nunquam sequendam ullam, etiam probabilissimam; quod est damnatum ab Alex. VIII. quatenus semper includit formidinem; atque adeo evidentiam necessariam semper esse ad rectè operandum. Contra 4. quia sepius, ut etiam Candidus fatetur, obicium manet, quæ ex oppositis sit probabilior: in hoc ergo casu, vel non poterimus operari, vel omnes Candidi rationes erunt ab eo solvenda, si autem solvenda, ergo nihil concludunt; immo si in eo casu licet sequi, quam quis voluerit, ergo nostre rationes concludunt. Contra 5. quia nescio, an aliquid sit clarius nostris rationibus, quod cuique licet sequi iudicium prudens; quod sæpe repugnet evidentia probabilitatis, & tamen necesse est operari; quod implicet, ut quilibet teneatur ad tutius, quoties probabilitas non est evidens; quod lex sequendi tutius, aut probabilis sæpe obliget ad impossibile; quòd talis lex sit incerta, lex autem incerta non obligat; quod inutilis sit sententia obligans ad probabilis, & similes.

Initas ex Philal. falsum esse, quòd post diligenti-

N. 240. Philal.

N. Philal.

Alex. VIII.

Philal.

N. Philal.

P. Card.

S. Th.

Philal.

N.

237.

N.

238.

ligentem excussionem plura sint falsa probabiliora veris.

N. 242. Sed contra 1. tùm quia sibi contradicit, nam alibi axioma illud sine ulla additione admittit, ut probet idem non esse probabilioritatem, ac veritatem: tùm quia si falsum est, quod plura falsa post diligentem excussionem sint probabiliora veris; ergo verum tantum est, quod plura falsa sint ante diligentem excussionem probabiliora veris; sed hoc est contra experientiam, & rationem: contra experientiam, quatenus error sæpe apparet invincibilis; & in judicijs humanis reus sæpe apparet innocens, & vice versa; contra rationem, quatenus ea explicatio destruit axioma Philosophi, nam ante discussionem nullum falsum habet probabilitatem, cum ipsa probabilitas supponat semper discussionem, nempe iudicium nixum graviori fundamento: ergo si plura falsa sunt probabiliora veris, sunt talia post discussionem, seu post iudicium probabiliora.

N. 243. Contra 2. quia inter opiniones contradictorias alterutra est necessario falsa; sed ea necessario falsa iudicatur post discussionem à suis Patronis probabilior; ergo post discussionem ea & est falsa, & est probabilior: sed opinio probabilior, & post discussionem falsa est tam multiplex, quam multiplex est opinio opposita: ergo post discussionem multiplex datur opinio falsa probabilior: immò tot dantur opiniones probabiliores falsæ, quot probabiliores veræ; quia hæc probabilior vera putatur ab oppositis Doctoribus minus probabiliter vera, & opposita falsa iudicatur probabilior.

N. 244. M. Mer. Objicies 2. ex M. Merc. pag. 98. Non potest intellectus assentiri minus probabili, stante probabiliori: sed ut quis honestè operetur juxta minus probabilem, debet formare iudicium circa illam; ergo si hoc non potest, non potest juxta eam licitè operari. Nec dici potest, inquit, quod licet non possit formare iudicium probabile absolutum, quod suppono minus probabile, ex. gr. *Licet pingere die festo*, possit tamen formare modale, *Probabile est, quod pingere liceat*; si enim opinio iudicatur minus probabilis, eo ipso iudicatur probabilis: non hoc dici potest, quia iudicium opinativum modale stat, inquit, cum conscientia dubia, cum quâ non licet operari; tunc enim conscientia dubia est, quando in intellectu sunt hæc duo iudicia, *Probabile est licere, Probabile est non licere pingere*.

N. 245. M. Mer. Sed contra 1. quia sæpe M. Mercorus docet, quod dubium est suspensio omnis actus de re, de quâ dubito; ergo sibi contradicit, si velit, quod stet dubium, quando adfunt

duo iudicia modalia; immò toto hoc admisso, tenetur solvere argumentum, quod intellectus assentitur tunc minus probabiliori. Contra 2. quia nego antecedens; nam illa opinio, etsi minus probabilis, magis est similis vero, quam falso, nam ejus ratio probat eam opinionem esse veram, non autem probat esse falsam; etsi eadem ratio non probat eam tantum esse veram, quantum ratio opinionis probabilioris probat hanc esse veram. Itaque opinio minus probabilis est magis similis vero, quam similis falso; etsi non sit adeo similis vero, quantum est opinio probabilior. Adde ex P. Teril. qu. 25. de Reg. mor. n. 11. ad finem, rem bene notandam, nempe quod omnis apparentia veri est verissima verisimilitudo; omnis autem verosimilitudo magis connectitur cum vero, quam cum falso, quamvis tantam cum vero apparentem connexionem non habeat, quam rationes oppositæ cum ejus falsitate: quod non est nisi quod diximus, minus probabilem esse magis similem vero, quam falso. Adde etiam ex P. Mendo in sua Epitome discursu prelegendi, qui ait; Nec quis judicet de duplici opinione aequè probabili, esse utramque veram, id enim repugnat; sed iudicat se licitè agere, dum sequitur hanc, aut illam; nam esse utramque probabilem, non est, esse utramque veram, nec utramque falsam, sed pariter quamlibet posse esse veram, aut falsam; falsitas autem si detur, negat, non est quid malum in ordine ad mores. Hæc breviter, & nervose P. Mendo, quod utinam caperetur. Idem tradit Verricelli in quæst. Moral. tr. 2. qu. 10. n. 4. qui hæc habet: Respondetur intellectum non iudicaturum id, quod est probabilior, esse verum, alioquin iudicaret esse falsam opinionem probabilem; cum enim una sit veritas, si hæc stat pro opinione probabiliori, altera opinio necessario iudicaretur falsa, contra suppositum: ergo in casu posito iudicabit intellectus opinionem probabilem magis apparere veram; quæ autem magis apparere vera, plerumque re ipsa falsa sunt: unde Caiet. in 2. 2. qu. 10. art. 7. in fine ait: *Contingit aliquando magis apparere, percipi, & satisfacere, & movere argumenta falsa, quam veritates eorum*. Hæc Verricelli.

Dices ex P. Eliz. lib. 2. qu. 20. §. 2. pag. 124. N. Probabilitas debet esse quid invariable; sed 2. 1. non est, nam sæpe successu temporis deficit; ergo non potest esse regula. Respondet ad probabilitatem duo requiri, nempe, quod nitatur rationi gravi, & quod nihil detur certum pro opposito, quia autem dari potest successu temporis aliquid certum, adeo cessare

cessare potest probabilitas. In formâ dico probabilitatem pro iisdem circumstantijs, quibus est probabilitas, esse invariabilem; & prout perseverat in suo esse probabilitatis, esse regulam; non autem illis, & hoc mutato.

§. II.

Quia dictamen nixum motivo minus probabili est potius difforme, quam conforme legi Dei.

S U M M A R I U M.

M. Mercorus ait, quod minus probabilis ne quidem apparetur sit conformis legi Dei, & hoc esse adeo evidens, ut Deus concedere nequeat usum minus probabilis, n. 248.

Vitium paritate horologij, ibid.

Multipliciter in isto, & ab omnibus solvendum, à n. 249. ad 255.

Si error invincibilis potest esse regula saltem negativa, cur non probabilitas? n. 252.

Ut dictamen sit regula, satis, ut sit practice verum, ibid.

Explico quibus principijs sapientie creata, & increata, omnis certo probabilis, etsi in re falsa, sit practice conformis, n. 255. 256. 257.

Quid satis ad virtutis actum? Ibid.

Paritas horologij nulla, n. 258.

Moralis conformitas in quo consistat? Ibid.

M. Mercorus ait, quod ex ipso principio, quo inferimus licere minus probabilem, inferatur non licere, n. 259.

Transit ad probabilitatem simultatis, n. 260. 261. 262.

Eagnanus, & M. Gonet. dicunt vetari à jure Canonico, ne quis cum suspitione, & scrupulo operetur, n. 263.

Retorqueo, n. 264.

Divus Antonin. dicit licitum contra scrupulos operari, ibid.

Expono Textus, ibid.

P. Eliz. ait, quod DD. se habeant ut testes juris, n. 265.

Disparitas inter DD. & testes ex P. Cardenas, n. 266.

Magnum inter DD. & testes discrimen; quin siquid probat, probat nostram sententiam, n. 267. 268.

Etsi quilibet sequatur sibi probabilis, non inde inferatur lex probabilioris, n. 269.

Subditi saepe sequuntur sibi directe minus probabilem, ibid.

Formido, & dubium non sunt idem, & minus probabilis eam includit, hoc excludit, num. 270.

Datur lex non sequendi nisi practice veram, non autem probabilioram, n. 271.

Objicies 3. ex M. Mercor. pag. 101. Pro-N. probabilitas non potest esse regula humana operationis: ergo stante maiori probabilitate non licet eam sequi. Antecedens probatur; quia dictamen rationis nixum motivo minus probabili, nec apparenter est conforme legi aeternae, immo magis apparet difforme; nam iudicium nixum motivo probabili magis est conforme, quam difforme legi aeternae: ergo illud dictamen non potest esse regula recte operandi. Subdit hanc demonstrationem sibi esse adeo evidentem, ut nec apparetem habeat solutionem, nisi evertatur Theologia. Ex quo deducit, Deum ne quidem posse concedere usum opinionis minus probabilis, omisâ probabili, quia Deus vult, ut vivamus secundum virtutem, non quomodocumque, sed ut lex aeterna praecribit: cum autem lex aeterna sit nobis ignota, dedit nobis pro regulâ aliquid, ex cuius directione operemur ut plurimum actum virtutis: sed usus sententiae minus probabilis, omisâ probabili, plerumque nos ducit in errores; nam verosimilius est, non esse à parte rei honestum, id, quod probabilis est non esse tale: ergo si Deus vult nos vivere secundum virtutem, non potest nobis dare pro regulâ minorem probabilitatem. Confirmat paritate horologij, quod non potest esse regula, si magis sit difforme, quam conforme motui solis: sed opinio minus probabilis est plerumque difformis legi aeternae; ergo non potest esse regula.

Sed contra 1. quia M. Merc. locis à me citatis d. 10. sect. 3. §. 3. docet preferendam necessarii tutiorem minus probabilem, minus tutam probabili; ergo in eo casu dictamen nixum motivo minus probabili est magis apparenter difforme, quam conforme legi aeternae: ergo si Deus non potest dare pro regulâ minorem probabilitatem, numquam licebit sequi minus probabilem, etsi tutiorem. Rursus idem M. Merc. expressè docet, ut dixi l.c. eligi posse minus probabilem faventem libertati, si per motum extrinsecum fiat certa; ergo vel argumentum nullum est, vel si valet, numquam eligi poterit minus probabilis favens libertati.

Contra 2. quia eo argumento probatur N. nec maiorem probabilitatem posse esse regulam, non tantum contra M. Mercor. docentem, quod intellectus non possit assentiri minus tutam probabili, stante opposita tutiori minus probabili; sed etiam quia dictamen rationis nixum motivo probabili, licet sit apparenter magis conforme legi Dei, est tamen eidem legi probabiliter etiam difforme, nullus autem sequi potest dictamen etfi